Clementiſſimus, ab aliquo tempore me dignatus, quemque non præſenti tantum ante hos tres fere annos, ſed ex eo abſenti quoque teſtari non gravatus eſt, id ipſum exigebat, ut aliquod publicum teſtimonium ederem, quanti illam gratiam æſtimandam, cum alia gratitudinis mihi deſint inſtrumenta, cenſeam. Cum vero in hoc eſſem, nihil comparebat, quod illo Principe, qui doceri à nemine opus habet, dignum videretur: Unde ne omnino propoſitum omittendum eſſet, adFilios Paternarũ quidem virtutum æmulos, quorum tamen ætas adhuc doctoris patiens eſſet, deſcendendum fuit: non ut præceptoris mihi munus αὐτόκλητος arrogarem, gnarus Clariſſimum Dominum Georgium Fridericum Stoffelium non alio egere monitore aut collega, cum avi Joannis Stoffelii, hujusque affinis Joannis Chriſtophori Zengeri, qui in omnis generis literas, ipſi doctiſſimi, & in Sereniſſimæ Wirtenbergicæ domus ſervitia, ille præfectus Hericuriæ, hic Cancellarius Montispelicardi, zelum ſuis ingenerarunt, exemplo, veſtris incrementis unice attentus, nihil in generoſa, qua cælitus donati iſtis, indole ad omnes exceſſas virtutes formanda omittat aut negligat. Quos tamen hic vobis ſiſtam doctores, vel diligen-